



# **Conciones, Siue Conceptvs Theologici Ac Praedicabiles, In Omnes Totivs Anni Dominicas**

Opvs Novvm Figvris, Allegoriis, Similibvs Ex Sacris profanisq[ue]  
Scriptoribus plenißimum, cum occurrentium fidei controuersiarum  
tractatione.

**Besse, Pierre de**

**Coloniae Agrippinae, 1620**

Concio Secvnda In Dominicam In Albis Sive Qvasimodo.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56314](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56314)

indigno mihi tam prompte & assidue ha-  
 etenus succurristi, ad te solum imposte-  
 rum confugiam, te solum o gloriose com-  
 pellabo, qui pro me apud supremum iudi-  
 cem interpelles. Perge obsecro, o beate Se-  
 uerine, qui me tam feliciter portum aspi-  
 cere fecisti, quo magis tibi me deuinctum  
 sentiam, pro me intercedere: ac precibus  
 tuis apud Deum obtine, vt sanctum verbi  
 diuini semen, quod in Ecclesia huius, qua,  
 quoniam nomini tuo dedicata, in tua pro-  
 tectione & tutela est, agro seminari, cre-  
 scat ac fructum centesimum afferat, & pro-  
 fundas radices agat. Ac tandem apud  
 Deum efficias rogo, vt hoc ipsum quod tan-  
 to sudore laboreque plantaui, tu quidem  
 imbre aspirationis & protectionis tuae irri-  
 ges, Deus autem omnipotens largiter det  
 incrementum. Sis deinde, potes namque a-  
 pud Deum plurimum, magnique caelesti in-  
 curia es nomini, secundus pro nobis Iere-  
 mias, & alter Onias, ora pro magna hac vr-  
 be Parisiensi, ora pro hac tua parochia, ac  
 pro vniuersa demum Ecclesia: o Beatus quem  
 inter omnes beatos plurimi facio, quem ho-  
 nore & veneratione imprimis prosequor, o-  
 ra pro Pontifice, pro Rege nostro Christianis-  
 simo, pro Regina, Delphino, ac Princi-  
 pe nostro Illustrissimo: intercede pro vni-  
 uerso huius regni statu, pro omnibus fide-  
 libus, atque adeo omnibus qui in mun-  
 do sunt hominibus, vt precibus & in-  
 tercessione tanti viri tamque gloriosi; eius  
 qui omnium Sanctorum Deus est, gra-  
 tiam in hoc mundo, & gloriam  
 in altero assequi merea-  
 mur. AMEN.



CONCIO SECUNDA IN  
 DOMINICAM IN ALBIS SI-  
 VE QUASIMODO.

Partes..

1. De causis resurrectionis Dominicae.
2. Cur sero veniat Dominus.
3. Quid ianuis clausis ingressio, & statio in me-  
 do sibi velint.
4. Qua pax Christi, qua mundi.
5. Quanta Domini vulnera fuerint.
6. Cur cucatrices a Christo veniant.

Cum esset sero die illa, vna Sabbatorum, &  
 fores essent clausae. Ioan. 20.

F I G V R A.

INTER omnes veteris Testamenti Patres & Gen. 31.  
 Patriarchas, qui quidem Christi Iesu ima-  
 go & typus existere, principem facile locum  
 tenet Ioseph magni Iacobi filius, qui vera  
 eius figura & ad prototypum quam proxime  
 accedens, existit: in primis quod plus  
 ceteris fratribus a patre amatus, quod fratri-  
 bus exofus in cisternam veterem demissus,  
 venditus, inque carceres Aegypti coniectus  
 fuerit; dein quod eisdem ereptus ad totius  
 regni gubernacula capessenda delectus, &  
 mundi Saluator fuerit nuncupatus: In his  
 quidem omnibus Christum expressit; at ma-  
 xime, quod eadem ipsum inter & fratres,  
 quae Christum inter & discipulos, post re-  
 surrectionem, acciderint: Filij namque Iacobi  
 cum in Aegyptum profecti grauius an-  
 gerentur, ac non mediocriter percelleren-  
 tur, tum ob famem & rerum omnium penuriam  
 quae mortales omnes premebat, cum  
 quod vnus eorum scyphum aureum, in quo  
 Ioseph augurari soleret, clauaculum abstu-  
 lisset; stabant hic quidem attoniti, anxij &  
 trepidantes, cubiculi angustiis conclusi, pa-  
 uidi & de rerum successu dubij, nescientes  
 quem tandem res exitum esset habitura: do-  
 nec tandem Ioseph in eorum medium pro-  
 siliens, dulci & amica voce diceret: Ego sum  
 Ioseph frater vester, quem vendidi in Aegyptum  
 nolite

*nolite pauere, neque durum vobis esse videatur, quod vendidisti me in his regionibus.* Idipsum in Euangelio hodierno videmus contingere: cum enim discipuli ipso resurrectionis die grauer dolerent & angerentur, tum ob famem & caritatis penuriam, quæ per vniuersum mundum inualuerat, ita vt in omnium cordibus illa refrixisset; tum quod pretiosum illud monile, Christus Iesus inquam, oculis eorum ereptum esset; ideoque pauidi & trepidi ob metum Iudeorum, vno in cubiculo, ianuis clausis; vt quidem Euangelista tradit, ignorantem quem tandem finem resconsequeretur, se continerent; ecce tibi Iesum Christum in medio eorum consistentem, & suam illos voce consolationemq; spirante alloquentem: Ego sum Iesus frater vester, cum homo sim similibus vobis; sum Iesus, quæ vestrum vnus Scribis & principibus Sacerdotum triginta denariis vendidit: ceterum nolite pauere, pax vobis; potius gaudete, & exultate, ego sum; Vniuersi hic Euangelij nucleus est & essentia, quam vt amplio-rem Dei gloriam animarumque vestrarum emolumentum exponam, gratiam illius precibus carissimæ Genitricis postulemus: quod vt libentius & melius præstet salutatione eam Angelica prius saluabimus:

A V E M A R I A .

I. Quotquot hæcenus, vel nostra, vel Patrii, vel etiam præcedentium sæculorum memoria, Religionis nostræ mysteria inquirere, curiosusque pertractare voluerunt, gloriosam ac triumphalem Redemptoris resurrectionem imprimis demirati sunt, quam nunquam pro dignitate exponere potuerunt: sed cum abstrusas illius abyssos ingenij sui solide timari non possent, mysterijque magnitudinem difficulter admodum comprehendere, infinitis de eodem productis conceptibus varias ac multiplices, cur resurgere à mortuis Dominus, & tam admirabile opus edere voluerit, rationes produxerunt. Prima quidem à diuinæ iustitiæ iure dependet: æquum scilicet erat ac rationi consentaneum, vt, sicut D. Thomas docet, quandoquidem hæc ipsa iustitia tam crudelis de Christo Iesu pœnas depoposcerit, & tam atrocem eum mortem adeoque ignominiosam subire vo-

luerit; alia quadam ratione, vt promeruerat, tantum opprobrium & pœnas compensaret, id est, corpus illius in terræ visceribus non contineret, & à putredine corruptione, que immune præseruaret: cum enim Deus æquissimus sit & iustissimus, idcirco tam in remunerando quam flagellando æquus sit oportet, & iustitiæ tenacissimus, atq; vt vna manu castigat & corripit, ita altera præmia & mercedem largiatur.

Hoc potissimum fundamento nititur & Pauli Apostoli ratio, cum Philippensibus scribens ait: *Factus est obediens usque ad mortem, & c. propter quod & Deus exaltauit illum.* Ipse quoq; Christus duobus incredulis discipulis in Emaus proficiscentibus non aliam, quo illos ab errore reuocaret, rationem propoluit: *Nonne oportebat Christum pati, & ita intrare in gloriam suam?* Idem quoque ait & Petrus in egregia illa oratione, quam omnium Apostolorum nomine, coram vniuersa Iudeorum multitudine habuit, dicens: *Quem Deus suscitauit, solutus doloribus inferni, iuxta quod impossibile erat teneri eum ab eo; non secus ac si dixisset, iustitiæ nomine cogendus foret Deus, magnamque haud dubie filio suo Iesu iniuriam irrogaret, si eum tam atrociam passum, ac proinde meriti infiniti, sepulchro includeret, & angustis monumenti limitibus coarctaret, nam eo ipso, quod Dei filius sit, sepulchri carcere contineri non potest. Philosophum hic agere vitiosum est Apostolus, & ad naturalem rerum ordinem quam proxime alluisse: sunt enim quædam in rerum natura corpora, quæ centro suo & naturali loco mora contineri & subsistere non possunt. Verbi gratia, ignis terræ visceribus inclusus, quo egredi & in altum conscendere queat, tutrum fundamenta conuellit, vrbium valla perfringit, arces validissimas evertit: aer quoque intra terram coarctatus, erumpere gestiens, vniuersam terræ machinam concutit, & insolitos fragores & agitationes causatus, montes etiam altissimos loco mouent. Ita quoq; fieri non poterat, vt iustitiæ sol Christus, obscura mortis regione, & sepulchro tenebris obstiti concluderetur, filius Dei à morte ad vitam non resurgere.*

Res naturales cum extra centrum naturale sunt contineri nequeunt.

Eccc 3 Et

3 part. qu. 54 art. 44.

Christus  
ob solam  
gloriam  
suam re-  
surrexit.

Et sane gloriosa hæc resurrectio Christo ad maius gloriæ & honoris incrementum debebatur: quamuis enim ad nostram iustificationem resurrexerit, tamen, quo gloriam suam manifestaret, plurisque ab hominibus fieret; mortis eum spicula potissimum effregisse, inferni repagula rupisse, & infernorum principem colligasse dicendum est, ut eum prius, eadem de causa, humanam naturam assumpsisse ac mortem dein subiisse, scimus. Debeatur hoc se. verbo Dei, in quo corpus & anima mirabili quadam ratione unita erant, quæ cum mors a se inuicem abstulisset, a diuinitate eadem unienda, & iterum sibi mutuo copulanda erant. Hic autem honor corpori erat acquisitus: nam propter unionem illam hypostaticam immortalitas ei debebatur: quamuis enim ad momentū mortuum fuerit, diuinitas id & Deo volente factum fuisse credendum est.

2. Ratio.

Secunda, cur Christus à mortuis resurgere voluerit, ratio est, ut diuinitatem suam ostenderet; quam nulla commodiori ratione quam resurgendo probare potuit, ut etiam Apost. ad Rom. testatur: *Qui predestinatus est filius Dei in virtute ex resurrectione mortuorum.* Tribus autem argumentis se Deum esse declarauit, primo tot tantisque, quæ per omnes Iudææ angulos edidit miraculis; secundo tot animas; dum peccata iis remisit, sanctificando, & cælestis gloriæ participes faciendo. Tertio resurrectione à mortuis tum alios ad vitam, absoluta scilicet auctoritate & præcepto, quod nulli hæcenus concessum fuerat, reuocando: quamuis enim Elias & Elifæus aliquos à morte ad vitam resuscitarint, ut è Reg. libris legenti manifestum redditur, precibus tamen prius ad Deum suis id impetrarunt: at Christus solo iussu & verbo, & auctoritate absoluta, mortuos monumentis eductos vitam pristina restituit, ut in primis filium viduæ, & Lazarum quattuoriduanum; illi namque solo verbo imperauit: *Adolescens, tibi dico, surge: item & huic, Lazare, veni foras.* Tum etiam seipsum & alios innumeros pariter sepulchris educendo, & mortis potentiam & vires eludendo. In lib. Reg. leguntur quidem ossa defuncti Elifæi mortuum ad vitam reuocasse, at non ipsa redanimata; sed Christus

Rom. 1.

3. Reg. 1.  
4. Reg. 4.

Luc. 7.  
Ioa. 11.

1. Reg. 13.

resurgens plures secum sepulchris eduxit, & fecit resurgere. Cuius rei præclaram in Genesi figuram legimus.

Ioseph Patriarcha iniuste admodum in carcerem coniectus, reperta in oculis custodis carcerum gratia, egrediens omnes secum captiuos eduxit, dederat quippe ille in manus eius victos omnes, qui compedibus constricti gemebant, & nutu eius omnia in custodia tenebantur. Audiamus Scripturam: *qui tradidit in manu illius vniuersos victos, Gen 39. qui in custodia tenebantur, & quidquid fiebat, sub ipso erat.* At potiori iure de Christo Iesu eadem referri poterunt, ille quippe iniuste accusatus, & morti innocens adiudicatus, in sepulchri custodiam compactus est, & in mortis claustra carceremque coniectus; tantam tamen in patris sui oculis gratiam reperit, ut de vniuersis, qui in limbo captiuum detinebantur mortuis, deque omnibus quos purgatorium expiabat, libere disponere potuerit, & mortis & inferni clauis ab eodem acceperit. Atque ob hoc initio Apocalypsis gloriatur, dicens: *Habeo clauis mortis & inferni.* Hinc ipse resurgens & terræ claustris egrediens, plurimos secum fecit resurgere, & in libertatem extractis carceribus restituit. Adeo ut, quemadmodum moriendo hominem se esse demonstrauit, ita resurgendo verum se Deum declararit; in quantum enim homo, resurgere non valebat, in quantum vero Deus, à morte immunis erat, & funeri exemptus. Fuit igitur resurrectio hæc verum ac viuax diuinitatis argumentum, & supremæ absolutæque auctoritatis & omnipotentis signum & character.

Quid cogitabas Isaia, quid imaginaberis cum prophetando conceptis verbis dices: *Mortui non uiuent, & gigantes non resurgent.* Videmus enim hic ad oculum, ut mortuus reuiuifcat, & gigas, de quo Pfaltes cecinit: *Exultauit ut gigas ad currendam viam,* à mortuis resurgat. Atque hæc sola est ratio, ut quidem Epiphanius asserit, cur Christum doctor Genetium Paulus primitias mortuorum vocarit, non tam quod non amplius mortuus resurrexerit, quam quod seipsum ad nouam vitam excitarit, ut qui morti dominaretur, & Parcarum

Apoc.

Psal.

Lib. de Incarnat.

Verbi.

carum stamina imperio suo dirigeret ac temperaret: adeo ut resurrectio ipsa vere opus diuinum existat, & omnem humanam potentiam excedens; ipse quoque Christus quotiescunque Iudaei promissionis illius signa, & certissimum quod Dei filius esset characterem peterent, nullum alium quam resurrectionis suae quasi nullus ipso maior aut euidentior foret, semper protulerit. in Euangelio enim Ioannis negotiatores templo eiciens ait, *Soluite templum hoc, & post triduum reaedificabo illud.* alibi quoque Phariseis & Scribis miracula in missionis confirmationem postulanti. respondit, *Non dabitur illi signum, nisi signum Iona Propheta.* Quin etiam olim; ut Ezechiel populo persuaderet, posse Deum ruinas urbis & templi rudera restaurare, utpote qui omnipotens sit; coram ipso varia mortuorum ossa per agrum spatit, redanimauit, ac in pedes subito fecit consistere. Sed transcamus ulterius.

3. Ratio. Tertia resurgendi ratio sit, quod ipsum resurrectionis mysterium fidei nostrae & spei fundamentum sit, omniaque Christi opera eodem respiciant, nullumue alium habeant finem: ipsa siquidem incarnatio, natiuitas, praedicatione, mors, vita, passio, miracula denique omnia, in resurrectione illius confirmata sunt. Ita nimirum argumentatur in prima ad Corinth. Apostolus. *Quod si Christus non resurrexit, vana est fides nostra.* multoque apertius Propheta Iob, omnem spem suam in resurrectione Dominica constituens, *Credo, inquit, quod Redemptor meus uiuit, & in carne mea uidebo Deum Saluatorem meum, & reposita est hac spes mea in sinu meo.* Idem quoque illi viatores Emaus properantes dicebant, *Nos autem sperabamus, &c.* Quid, fieri non posset, aiebant Messiam ab inferis rediuuim non reuerti: credendumne, in sepulchro eum captiuum & conclusum detineri? nequaquam, nam resuscitandum eum sperabamus, & in resurrectione illius omnem spem & fiduciam nostram collocaueramus.

4. Ratio. Quarto: a morte ad vitam rediit, ut sic omnia prophetarum oracula compleretur, & figurae quae dudum ante hoc designarant verae fuisset probarentur. Nam in Christi resurrectione uerus ille Adam, generis humani pa-

rens & auctor, a mortis somno excitatus est, Figura in & Ecclesiam, quae una cum sanguine e latere CHRISTI eius pulchra nimis exsiliat, sibi despondit. resurrectione cō- In ipsa magnus ille Moyses miraculose uehementes Nili passionis aquas euasit, & capti- pleraz. uos in libertatem asseruit, & mortuos ad vitam reuocauit. Tunc quoque uerus ille Isaac, Gen. 1. diuina eum protegente potentia, Patris irati manus euasit, & ceruicem gladio subduxit. Exod. 2. tunc etiam passer ille, quem in sui mandati- Gen. 22. onem leprosus immolabat, dimissus est, & Leu. 14. pristinae libertati restitutus. Plura uultis? Gen. 39. & tunc etiam mysticus ille Ioseph, a fratribus inique, uenditus, traditus, derelictus, post opprobria & captiuitatem, post carceris squalorem & angustias mundi totius Dominus constitutus est. Tunc etiam uirga illa Num. 17. Aaron tormentis & supplicijs exposita, mortis nocte floruit, & pulcherrimos gloriae & honoris fructus protulit. Tunc miser ille Esth. 8. Mardocheus hoste cruci affixo, purpura & Iona 3. bysso indutus & gloriosus apparuit. Tunc denique Ionas, in tormentorum pelagus coniectus, ac deinde in terra uentre sepultus, iterum solem uidere, & tertia die in apertum prodire meruit.

Quinta & ultima ratio est illa, quam Paulus in Epist. ad Rom. adducit. *Mortuus est, inquit, propter delicta nostra, & resurrexit propter adificationem nostram.* Egregiae profecto rationes, quas in orationis huius exordio afferre uisum fuit, quod hodierna etiam die in Ecclesia Dominicae resurrectionis celebratur laetitia & gaudium: Christus enim eandem, octauo post resurrectionem die, coram Apostolis, & maxime incredulo Thoma, adstruere & confirmare gestiens, vulnera sua & loca clauorum demolstrauit, quae ille mox supplex & in terram prostratus coram omnibus adorauit. Historiae seriem describit Ioannes, cuius haec sunt uerba: *Cum esset sero die illa, una Sabbatorum, & fores essent clausae; haec ipsa expositurus, primo de apparitione qua Dominus discipulis apparuit, deinde de uulnerum & signorum manifestatione acturus sum.*

Principio igitur antequam longius proueamur, notandum uenit, quinq; diuersas ab Evangelistis Domini apparitiones, quibus ipse

II.

Christus

quinque

ipso

diuersis ipso resurrectionis die hinc inde se manifestum dedit, describi. Primam, qua Mariæ Magdalena, haud procul à monumento; secundam, qua tribus Mariis à sepulchro redeuntibus; tertiam, qua Principi Apostolorum Petro; quartam, qua duobus discipulis in Emaus profecturis; quintam & ultimam, qua decem discipulis cubiculo præ metu inclusis apparuit; de qua hodiernum loquitur Euangelium. Porro quina hæc apparitio in Missa quotidie à sacerdote quinies se inter celebrandum ad populum conuertente representatur: Conuersio autem illa tacita, qua se submisit loquendo vertit, de dote quæ notat apparitionem, qua Dominus Petro visus est; quod Euangelista eam tacitam prætereat, nec vbi nam, quando, aut quomodo facta sit describat. His igitur præsuppositis, & hoc fundamento locato, historiam examinemus. Refert igitur Ioannes, Christum cum sero iam esset, & fores essent clausæ, Apostolis suis se manifestasse.

Christi diligentia in spera sceret, Græce legitur *ἄνοιαν ὄψιμα*, id est, iuuandis existente vesper. Bene hanc temporis circumstantiam notauit Euangelista, ita ut Christi diligentia & ardor moras pati nescius, manifestus fiat, quem nimirum nec tenebræ, nec temporis importunitas impediatur, quo minus Apostolos solatum veniat, & in fide quæ propemodum nutabat, confirmatum. Ita hunc zelum præsignauit olim ardens ille sponsus in Canticis, qui dilectæ suæ amore laucius, eamque summo opere videre desiderans, noctem integram quaerendo insumerat, adeo ut & caput suum rore matutino, & cincinnos guttis pruinosis madidos fuisse confiteatur. *Caput meum plenum est rore cincinni mei guttis nocturnis.* Sero quoque ac circa vesperam hic apparere voluit, quo discipulos in vnum congregatos reperiret, ut quidè Chrysostomus, Leontius, Euthymius & Theophylactus sentiunt: Ipse verò aliud collinco, & aliam ferotina huius apparitionis causam esse existimo.

Deus fide suorum diuersi- Audito enim verbo sero, quamprimum auguror & ipse mecum cogito, Deum, quauis diuersis rationibus & mille modis fidem

& spem amicorum suorum experiat & probe; vt plurimum tamen sero & circa vesperam ac finem, in rebus aduersis & afflictis opitulari, suisque adesse: cum nullum aliunde auxilium expectatur: quem probandi modum si Deus non vsurparet, plurimæ, quæ iam splendent & emicant, virtutes obscuræ in mundo laterent, & incognitæ. Si enim præceptum, quo Abrahamum filium immolare volebat, ille ad hoc patrandum domo egressum reuocasset admirabile Isaac obedientiam nemo omnino cognitam habuisset. Si diluuium aquarum vniuersalis inquam illa inundatio non nisi triduo aut quattriduo durasset, sinceritas, pietas & magnanimitas Noachi nemini cognita fuissent. Si calamitates & ærumnæ sanctissimi viri Iob ad primæ cladis nuntium finem habuissent, si ad primum turbinem afflictionum procella delæuisset; quis vnquam patientiam illius deprædicasset; si Idololatra Laban tempus seruitutis Iacob non prolongasset, nemo quo Rachelem amore Iacob profectuus fuerit, perspectum aut cognitum haberet. His igitur modis suos Deus tentare consuevit, & auxilium & opem sapientius vesperam vsque differre.

Samaria cum artissimo obsidio circumcingeretur, & obsessi tanta intus egestate & rerum penuria laborarent, nulla vt salutis auxiliique spes affulgeret; Deus tamen, licet omnes ad eum auxilii causa peccando confugerent, eiusque opem enixissimis postulationibus efflagitarent, quasi obscuruisset, ne utiquam ad misericordiam conuerti posse videbatur. Clamabant siquidem ciues, & his obsecrationibus diuinum numen flectere contendebant. Respice, obsecramus Domine penuriam & inopiam nostram, caput asini iam octoginta siclis venit, tempus igitur succurrendi nobis. Vide, vt stercus columbinum auro appendatur, subueniendi igitur tempus adest. Considera, vt miseræ matres, rabida fame stimulant, & omnem naturæ legem excedente, proprios liberos in cibum mactent, & ferales sibi epulas parent. Nondum igitur miserendi tempus? Nullus in vrbe iam commeatus superest, sed dira egestas & inopia per omnia grassatur, omnes prope-

mode ex-  
petitur.

Gen. 22.

Gen. 4. 7.  
Iob. 1.Gen. 29.  
4. Reg. 4.

propemodum fame enecti exsanguia trahunt membra, ac deficientes per compita emoriuntur, regi quoque necessaria ad vitam sustentandam defunt. An non igitur auxiliandi tempus? & inanem hominum spem ac fiduciam malefidam! Nouit, nouit hæc omnia Deus; momenta temporum manu sua librat, & horas dinumerat; confidite circa vesperam auxiliaturus adueniet. Et sane cum hora auxilii iam aduenisset, tanta rerum omnium abundantia & uilitas post inopiam illam & caritatem successit, tamque ampla post afflictionem benedictio, ut farinae modius in portis Samariae denario ueniret.

*Dan. 14.* Conijcite etiam oculos in Daniele, rerum omnium indigum, & ab omnibus derelictum, in laci fundo iacentem leonibus seipsum, & præ cibi potusque penuria pene confectum; iam diem integrum, Domine ieiunus transegit; tempus igitur ut in te solum speranti subuenias; leones quoque præ fame rabiunt & efferaeunt, & præ æuidi rugiunt, quamuis eum attingere non præsumant: accurrendi igitur tempus. Sex iam Domine dies in hoc rerum statu constitutus opem diuinam expectat: & quamuis fortassis homo tanto tempore ieiunus famem patiatur, animal tamen rapax & in prædam natum, quales sunt leones, latrantem stomachum compescere nequit. Sume animos & confide Daniel, sero enim cum fuerit, aderit auxilia manus: video enim Abacuc capillitio per Angelum transfectum, in Babylonia sisti, pulmentumque messoribus preparatum Danieli famelico deferentem.

*Matt. 8.* Apostoli cum in lacu Genesareth nauigarent, ecce tibi subito excitari procellam, ventos defæuire, fluctus intumescere, mare turbulentum concitari, adeo ut omnes in periculo vitæ versarentur, & nauis à naufragio haud procul abesset. Ipse tamen nauita Christus securus in carina dormitat: præsentis periculo nihil sollicitus, quem cum Apostoli pauidi à somno excitarent, pusillanimes mox audierunt, cum diceret. *Quid timidi estis modica fidei? Quid ais, Domine. Vide obsecro, inquit, ut mare insurgat, ut venti per æquora grassentur & fluctus ad littora uoluant, vide ut vnda spument, na-*

*Tom. I. Pars Hyemalis.*

uis periculum adeat, omnes sibi metuant, naufragium reformident; & indignaris quod à somno exciteris, aut opem tuam implorent periclitantes: O mytheria, & mirabilia! Ut hinc nimirum discant fideles in Ecclesiæ nauicula constituti, in omni tribulationum procella, in omni aduersitatum tempestate ad Deum confugere, & in ipsum spei omnis ancoram iacere consuescant: tandem enim ventis imperabit & mari, magnamque & inexpectatam tranquillitatem mediis in turbidibus superinducet.

Ait olim Prophetæ Deus: *Scribe visum; & explana eum super tabulas: ut percurrat qui legerit eum; id est; quicumque in eum oculos coniecerint; sine mora illum perlegere queant. quid autem scripturus est Domine. Si moram fecerit Deus expecta illum, quia ueniens ueniet, & non tardabit.* Vult igitur uicuique nostrum & omnibus in genere hominibus notum esse, quin etiam sesquipedalibus litteris in corde omnium exaratum permanere, quo facile legi queat, Deum suis semper auxiliari; nec suorum, in necessitatibus, obliuisci; & si initio uenire differat, tandem tamen & circa afflictionum uesperam, adfuturum.

Holofernes princeps militiæ regis Nabuchodonosor cum numeroso exercitu Bethuliam obsideret, & ut se, vicinarum ciuitatum exemplo, obsessi dederent, indies instaret; summus Sacerdos Ozias & seniores populi, re bene discussa & utramque in partem mature (ut ipsi quidem arbitrabantur) disceptata, consilium tandem inierunt, in Assyriorum se manus tradere, ni intra quinque dies supperias ferret Deus, aliunde, auxilium affulgere. Quo audito, sanctissima uidua Iudith, utpote Dei agenda moræ penitus cognoscens, non mediocriter comota fuit, indignansque ob iniquam hanc & frivolum consultationem, Oziam & uniuersam populi multitudinem conuocauit, hæcque eos est oratione allocuta, *Qui estis uos, qui ueritate Domini non estis? iste sermo qui misericordiam prouocet, sed peius qui iram excitet, & furor accedat. Posuistis uos tempus miseracionis Domini, & in arbitrium uestrum diem constituistis ei? multisque uerbis*

FFF

eorum

eorum inertiam ac pusillanimitatem increpans, tandem concludens ait, *Exspectemus humiles consolationem eius, & exquiret sanguinem nostrum de afflictionibus inimicorum nostrorum: & humiliabit omnes gentes, quacumq; insurgunt contra nos.*

Similis propemodum historia in libris Regum legitur. Saul enim, quodam tempore praelio cū Philistæis decertaturus, Samuel Prophetam opperiebatur, qui victimas pro felici belli successu immolaret; verum cum Samuel diutius æquo moraretur, nec in tempore adesset, ipse moræ impatiens, dolensque tam præclaram conferendi prælii occasionem sibi elabi, sacerdotali sese officio temere ingerens, sacrificium peregit. Superuenit igitur sacrificio Samuel, & Saulem bobus immolandi occupatum cernens, imo ingemiscens corde, acribus eum verbis; quod sacerdotalem sibi functionē arrogasset, corripuit. temeritatisque coarguit, dicens: *Sulte egisti, nec custodisti mandata Domini DEI tui, qua præcepit tibi. Quod si non fecisses, iam nunc preparasset Dominus regnum tuum super Israel in sempiternū.* Plures hodierna die Sauli perfimiles reperire est, qui quod moræ impatientes sint, multa tum agunt, tum dicunt quibus Deum ad iracundiam prouocent. At non ita faciendum est, Christiani, patienter sustinendum, & ad vesperam id est, ad finem vsq; expectandum: tunc enim auxiliari consuevit Deus, tunc suos consolari, tunc ferre afflictis suppetias, sero inquam & dum fores clausæ sunt.

2. Reg. 13.

III. **Hæretici** cura repetit, ut ita miracoli subsecuturi magnitudinē splendoremq; magis patefaceret. Et sane nullus ante impium Caluinum dicebat aut cogitare ausus fuit, Christum aliter quam clausis ianuis, conclauē, in quo Apostoli delitescerant, ingressum; quem admodum & prius utero materno, sine vllō virginalis pudicitia detrimento; & sepulchro, sine lapidis ad tutelam superimpositi læsione fuerat egressus. Omnes vero quotquot hætenus vixere Patres, mirum in modum hic inter se conspirarūt, magnoq; consensu docuere Christū clausis & obseratis foribus ad suos introiisse; imo, nullius vmq; tantam

audaciā, ne dicam impudentiam, fore credere, qui contrariū blasphemam lingua assereret: cum nec ipsi Marcionitas, qui hinc contra Ecclesiam astruere conabantur, Christum verum non habuisse corpus, ut Hieron. Augustin. Cyrillus tradunt, tam apertæ veritati refragari ausi sint; nec ipsi etiam Manichæi, qui tamē hoc etiam loco abutebantur. Nullus autem vnquam Catholicorum Patrum docere præsumpsit; non clausis sed parentibus, non obseratis sed referatis eū ianuis ingressum, uti modo nefarii docēt, Caluinistæ.

Hinc tamen apertissime veritati nostri temporis Nouatores aduersari conati sunt, ne forte, si Christi corpus hic ianuis clausis ingressum admitterent necessario etiam, in Venerabili eam Eucharistiæ Sacramento, nullum occupando locum subsistere, fatenti cogerentur: quam ut melius etiam & coloratius astruant, in varias se opinionum formas transmutant, diuersaque querunt ad effugiendum diuerticula. Nonnulli siquidem auiant, ianuam quidem ipso veniente clausam fuisse, sed cum forintecus pulsaret, mox ab aliquo apertam alii omnipotentia eum sua eadem laxasse aut aperuisse, aut ipsam etiam sponte reductam, viam Domino dedisse docent, ut Petro in Actibus Apostolorum fores carceris patuisse constat. Alii deniq; credunt eum per fenestram aut alia quadam occulta via insiliisse. Sed ab Euangelistis omnes mēdaciū coarguuntur, diligenter notantib. obseruantibusque, ianuis eum clausis ingressū.

Cur autem ianuis obseratis, & occulte re-pagula penetrando, ad suos introire Dominus voluerit, variæ dari rationes queunt, & ex e Patrum sermōnis productæ. Credit namque Leontius id factum, quo Apostolos suos edoceret, ne iam amplius secundum carnem iudicarent. sed imaginationum oculos altius sustollendo agnoscerent, glorioso modo eum, cœlestibusq; dotibus insignito corpore donatum. Theodorus Heracleota ad diuinitatē suam declarandā, cui nihil etiam vectibus ferreis oclusum, resistere possit, sic illum ingressum putat. Euthymius, ad Apostolos nō percellendos, si enim per ianuā intro euntē vidissent, credidissent haud dubie, aliquē à Iudæis & Pharisæis esse, ad comprehendend-

Diuerse hæreticorum opiniones quoad hanc ianuam patet factio

Ad. 11.

Cur Christus ianuis clausis ad suos ingressus sit.

hendendum eos submissum. Theophyl. non aliam fuisse rationem putat, quam ut hac ratione Apostolis quomodo à mortuis resurrexisset, demonstraret; eo se scilicet modo sepulchro egressum, quo iam conclaue sit ingressus.

*Ann. 20.*  
Non ingreditur Deus, nisi ubi ianuas clausas reperit.  
*1. Cor. 7. 1. Tim. 9.*  
*Cant. 5.*  
Cum fores essent clausae. Cum Christum clausis hic foribus introeuntem contemplant, altiores animo incidunt conceptus, & docere voluisse mihi persuadere, nullam eum domum ingredi solitum, nisi cuius fores & ianuas clausas viderit. Quinque homini sunt ostia & fores, quinque inquam sensus exteriores, quos, qui Deum ad se cupit diuertere, diligenter clausos obseruatosque habeat necesse est. Non quod caecos vos esse velim aut surdos, aut insipientes, vel etiam penitus insensibiles, verum ut habentes sensus, quasi non habentes viuatis, ut in 1. ad Corinth. praescribit Apostolus. Ipse quoque Ieremias de oculis loquens ait, mortem per fenestras illas ingredi consueuisset. Hinc diligentes ad omnes portas locandae sunt excubiæ, quæ si obseruatae fuerint, si sensus omnes nullis rebus exterioribus accessum dederint, si nihil illicitum admiserint, Deus haud dubie ad huiusmodi animam diuertet. Nam ut sponsus ille in Canticis, Amicæ suæ domum ingressurus, fores omnes & aditus oculos reperit, adeo ut pulsare coactus fuerit, *Aperi mihi soror mea, columba mea;* ita quoque animæ nostræ, quarum sponsus Christus est, si à dilecto visitari, & eius foueri alloquio velint, omnes mundo aditus occludant necesse est, & nullam exteriorē voluptatem admittant. Videmus namque ut Apostoli, dum angustias coelusi, à Domino hic visitari meruerint, ad quos ianuæ clausis ingreditur.

*Christus semper medium occupat.*  
Et stetit in medio. Cum Christum in medio hic stātem video, victoria statim animo occurrit; stat quippe in medio, necessitatibus nostris ut succurrat, bona sua ut communicet, & extremitates pares reddat. ac suum vnicuique ius tribuat. Et sane medium præ cæteris locum semper videtur dilexisse; si enim nascitur, in medio animalium nascatur, si in templo reperitur, in medio doctorum reperitur, cum moriendum fuit, inter latrones mori voluit; denique cum resurrexisse se voluit demonstrare, in medio Apostolorum

stetit: atque hæc omnia, ut omnis se boni nostri principium & finem designaret.

*Stetit in medio.* Scilicet ut mediatorem se, *Ioan. 20.* Deum inter & homines constitutum ostenderet, utpote qui quo hominem defenderet medius inter & interitum sempiterno eriperet, Patris iræ se ter Deum opposuit, diuinæque iustitiæ flagellum tergo & hominibus excepit suo. Ita quippe aliquis est Prophetis stetit. prædixerat: *In me transferunt iram tuam:* fuit enim verus quidam David, qui medium se, inter Angelum gladio stricto stragem edentem, & miseros subditos constituit, dicens: *Ego sum qui peccavi, ego qui inique egi.* verus etiam Ionas, qui inter miseros naufragium metuentes, & iratum mare, mediatorem se & sequestrum posuit: *Mitte me in mare, & cessabit mare à vobis.* Fuit enim vere, qui, ad homines saluandos & tempestate coelesti eripiendos, in mundi huiusce mari nauigans, in passionis oceanum deiecit. fuit, ut vel hoc pacto tempestas detumesceret, & cæteri pacifica nauigatione vterentur. Tantaque illius bonitas est, & clementia, ut non modo in media discrimina se hominis defendendi causa coniciat; sed ante illum se constituens, pericula in caput suum atcessat. illum abscondens & post se celans. Scripsit enim vates regius: *Abscondes eos in abscondito faciei tuæ;* & *Psal. 30.* alibi: *In occultis faciei tuæ, &c.*

Quamobrem cum hic & alibi, sepius eum Christus in medio constitutum, video, non possum, mediator quin meum illum, nec meum solum, sed & inter Deum totius mundi mediatorem appellem. Vnde & hominibus. *Unus est mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus.* Quod ut melius intelliatur, sciendum, tria Philosophos ad medium aliquando constituendum requirere. medium Primo, ut æqualis illius ab extremis sit distantia, & spatium inter extremitates ad tur. medium æquale sit. Secundo, ut de proprietatibus vtriusque extremi æqualiter participet, & cum utroque similitudinem & affinitatem communem habeat. Tertio, ut in medio ipsæ extremitates combinentur & coniungantur, & per ipsam extrema sibi mutuo Homo cohæreant, quæ alias incompatibilia sunt. medius Exempli gratia, homo medius est inter substantias spirituales, & corporales, quod Angelus inter & gelis sit inferior, bestiis & brutis superior: bestias.

intellectum, voluntatem, & liberum arbitrium cum intelligentiis superioribus commune habet; sensus autem corporeos eisdem, quos bruta: in ipso quoque duo extrema combinantur & ununtur, quod animam habeat quæ de spiritu participat, & carnem quæ ad corp<sup>o</sup> & res materiales refertur.

**Discrimen** Quod cum ita se habeat, & hoc fundamentum veræ Philosophiæ collocaverimus; dicendum Deum & hominem duo quodammodo extrema esse, & quoad naturam, infinitam inter vtrumque distantiam & discrimen existere; nec tantam inter cælum & terram, album & nigrum, colores nimium quantum inter se distantes, seque mutuo semper interimentes, discrepantiam existere, quantam inter Deum & hominē. Si enim naturam vtriusq; dimetiri velimus, distantia & discrepantia infinita est, inter ipsum, inquam, quod è nihilo est, & quod essentiâ suâ est; inter creaturam inquam & creatorem. Et quamvis a deo infinitum inter vtrumq; sit distantie spatium, peccatum tum longius adhuc alterum ab altero distinxit. Testatur hoc Propheta quidam dicens, *Iniquitates vestrae diuiserunt inter vos & Deum vestrum.* Cæterum in tanta inæqualitate distantiaq; nullum dari poterat medium, quod nimirum Deus sanctus sit; immortalis & infinitus; homo e contra peccator, morti & corruptioni obnoxius, ac proinde finitus. Quænam igitur extrema hæc combinandi ratio? Deus hominē induat, & ipse medium; Deum & hominem inter, occupabit; & quidem Deus Filius, inter personas diuinas medium: qui hoc cum Deo Patre commune habet, quod aliam personam gignat & producat, (cum idem cum ipso sit principium) Spiritum inquam sanctum, quem ambo spirant, cum Spiritu S; autem, quod genitus sit & productus; à Patre enim genitus. Pater vero & Spiritus S; in eo à se mutuo differūt, quod Pater genitiuam potentiam habeat; gigni vero non possit; Spiritus S. producat & procedat, multumque ipse producat. Filius autem medium tenet, quod simul & producat & productus sit.

**Christus** Hæc de ortu, emanatione, relatione, notione & productione ad intra dicta sint; eodē

prorsus modo de illa, quæ ad extra se habet, diuinitatem differendum; dicendumque filium Dei, etiam in quantum incarnatus, medium inter Deum & homines esse. Primo, quod Patre, in quantum humana carne indutus, minor sit; ita namque de se apud Ioannem testatur, *Pater maior me est;* maior vero ceteris hominibus, idq; propter vnionem hypostaticam, & simul ob plenitudinem gratiæ & gloriæ, quæ naturaliter vnionem hanc comitantur. Secundo, quod de extremorum proprietatibus participet; à Deo namq; infinitatem, iustitiam, gratiam & gloriam capit; ab hominibus vero paupertatem, pœnas, calamitates, miseria & mortem, inter vtramq; naturam igitur communiō quædam est & vnio. Tertio, quod duo extrema vniat & quasi maritet; coniungit siquidem paupertatem & arumnas nostras cum diuitiis & magnitudine diuina; & in Iesu Christo, Deus & homo pacem inierit; amicitiam contraxere, fœdusq; nullo vnquam tempore violandum pepigere.

Huc alludit Apostolus, cum in secunda ad Corinth. diceret, *Deum erat in Christo mundum reconcilians sibi,* pacemque cum illo immortalem contrahens, quod & ipse, interea dum hic in terris ageret, aperte demonstrauit, cum semper medium sibi locum delegerit: quem etiam modo in regno cœlesti occupare cum Ioannes in Apocal. testatur, cum in medio septem candelabrorum aureorum illum stantem describat. Hodie vero rursus in medio Apostolorum stetit, eisdem salutem & pacem impertiens, amplexando exosculans, & dicens: *Pax vobis, nolite timere.*

Bellum quod cælum inter & terram gerebatur, omnia perdebat & dissipabat; cælum fulgura, ignes, fragores, diluua & iustitiam producebat; terra vero spinas & tribulos, idololatriam, aliæque peccata abominanda: erant & intestina bella inter carnem & spiritum, inimicitiaq; immortales, de quibus loquens Apostolus ait: *Caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem.* Bella quoq; implacabilia Iudæos inter & Gentiles indies inualecebant & dominabantur: quæ omnia Christus Dominus in mundum veniens, penitus sustulit, & pace immissa gladium amouit. Testatur hoc idem quod supra Apostolus.

Epist. 2. storus ad Ephesios, *Ipse enim est pax nostra, qui fecit utraq; vnum.* & de eodem mox: *per crucem interficiens inimicitias in semetipso.* Plurali autem numero dicit *inimicitias*, quod omnia in eius aduentu inimicitias, discordiis & bellis scaterent; bella siquidem erant inter Deum & homines, animam & corpus, cœlum & terrâ, quæ Deus morte sua sustulit, aboleuit, & mundo pepulit, pacem eorum loco & quietem superinducens. In quam rem egregiam historiam depromam.

Val. Max. Codrus Atheniens. rex, vt historiarum monumentis proditum est, cum Doribus bellum gerens, cum ingentem numerumq; exercitum conflasset, oraculum Delpicum, de rei summa belli; exitu consulturus, adiit. Respondit Apollo, non prius Athenienses pacem, bellum suam; exercitum victoriam habiturum; quam rex inter præliandum occubisset. Quo audito, Dores edicto caueret, ne quis in Regem Codrum manus iniiceret, aut illum quamuis inermem, prima in acie constitutum, interficeret. Codrus autem, pacis & patriæ amans vt qui plurimum, & metuens ne sui cladem, & hostes victoriam referrent; hostile consilium elusit; namposito diademate & paludamento gregarij; militis habitu assumpto in cõfertifsimam hostium agmen se coniecit, itaque ementio schemate incognitus occumbens, morte sua suis victoriam, & vniuersa Græciæ pacem peperit.

Codri mors in oratione Christi collata. O amorem admirabilem, & amplissimum dignum præconijs! Idẽ omnino Christo Domino; totius vniuersi Monarchæ euenit. Videns n. mundum hũc inferiorem discordiis flagrare, inimicis suis bellum indicare constituit: antequã tamen bello decertaret, diuinum consuluit oraculum, quem tandem successum & exitum certamen esset habiturum. Cõmuni hinc voceresponsum; nõ prius bellum sopiri; pacem cõponi, victoriam referri posse, quam dux ipse in certamine gloriose occumberet. Hostes igitur hoc cognito vertere, ne quis in ipsum violentas manus iniiceret; omni que ratione impedire conati sunt, ne in passione occumberet, ne suis moriendo pacem affrret, neue inclita tot sæculis discordia cæde sopiretur. Verum

generosus ille Monarcha, qui pacem allaturus aduenerat; hostium detecto consilio, vitamque suam publicæ saluti & commodo postponens, Deum quodammodo exuens hominem induit; sepositaq; maiestate diuina, humanam fragilitatem, & serui formam assumpsit; vnde Apostolus, *Formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo.* Atq; hoc schemate induis, in medios se hostium cuneos coniecit, & ita incognitus in crucem actus fuit, in qua moriens luculentissimam victoriam retulit, pacemque generalem mundo peperit, pacem illam quam hodie Apostolis impertitur, dicens, *Pax vobis.*

Ioan. 20. Paxem autem hanc suis precando, vulnera manus pedumque, & fixuras clauorũ demonstrat; perinde ac si dixisset, *Anne timetis, charissimi cum vulnera hæc intuemini in his spem figite, hæc vos solentur & confortent.* Sponsus in canticis, vt dilectam suam in tuto collocaret, & ab omni hostili incursu defenderet, merum quoque & formidinem eriperet, in foramina petrarum eam inuitat. *Columba mea veni in foramina bus petra, & in cauerna maceria,* id est, in sacra hæc Christi vulnera, in quibus animæ sanctorum, coluæ hæc illæ simplices & sine felle, requiem inuenient, & à rapacibus vulturibus & miluitatæ permanebunt.

Deinde ideo, pacem impertiendo, vulnera & cicatrices vulnerum manifestat, vt discipuli hinc, quanto sudore & ærumnis pax ista relinq; hæc parta sit, discerent; perinde ac si illis dixisset, *Videte obsecro carissimi, quanti mihi fore parta hæc mediatoris dignitas constiterit; videte est, & ma- quid pacem procurando lucratus sum; testes gni consti- sunt cicatrices hæc & stigmata; cruentæ illæ tior. vulnerum notæ, sanguine etiamnum stillantium, euidentis testimonium dabunt, quanti hæc mihi mediatio & pacificatio constiterit.* Docere quinetiam nos voluit, quanti pacem hanc facere & æstimare debeamus, quam tot nobis sudoribus, tot laboribus & ærumnis comparauit, pacem inquam, quam morte sua & vitæ dispendio nobis lucratus est.

Notate autem, duplicem hoc in mundo pacem statui posse; vnã quæ à Deo descendit

Duplex  
pax.  
Psal. 75.

Psal. 27.  
2. Reg. 3.

Pax cum  
mundo  
inita me-  
rum bel-  
lum,  
Isa. 38.

Mich. 3.  
Iud. 15.  
Mundani  
vulpibus  
Samsonis  
compa-  
rantur.

scendit omnis auctore pacis & concordia; de qua dicitur, *factus est in pace locus eius*: pacem illam desiderabilem & votis omnibus exoptandam: alteram, quam mundus adfert, & habere se putat, pacem fucosam, perfidam, & bello deteriorem, mundus enim pacem ore præfert, sed bellum & discordiam corde fouet, vt Psalmographus monuit; *Qui loquuntur pacem cum proximo suo, mala autem in cordibus eorum*. Si Ioab Abnerem in amplectendo, & amicis eum verbis compellendo, cor suum patefecisset, nunquam illum tam perfide ac proditorie interemisset; vidisset enim ille haud dubie latens in corde virus, odium, & inimicitias quas fouebat. Mundi huius imaginem gessit versipellis hic Ioab; qui nos adulando, blandiendo, amicitiamque præ se ferendo, amorem mentiendo, sæpe, uero obruncat. at si perfidiam quam celat, si technas quæ imo corde latent cernere possemus, non tam facile in calles nos suos traheret incautos. Impius quippe pacem ore loquitur, & bellum corde spirat; ac pax diuina a corde, & in verba similiter pacem spirantia desinit. Hinc Christus discipulis pacem hodie donans, manus illis & latus ostendit, quod haud procul à corde abest; vt manifestum fiat, pacem corde se & ore præferre, nec minus re quam verbis amicum esse.

Viuar igitur pax diuina, non autem illa quæ mundus præfert. Pax n. quæ cum mundo inicitur, quæ cum prauis affectibus contrahitur, Pax non est, sed bellum inimicitia. Vnde Rex quidam Ezechiam esse credo, lacrimans dicebat, *Ecce in pace amaritudo mea amarissima*. Nã vt in Mercurii caducea serpentes illi circumpositi seipos exosculantur, ita in mundo, nouo illo Mercurio, pacis e mentita nuntio qui se mutuo amplectuntur & exosculantur osculo amicitia, serpentes sunt & virulenti: quales sunt ii de quibus apud Prophetam legimus, *Qui mordent dentibus suis, & prædicant pacem*.

Vulpes Samsonis caudas quidem colligatas habebant, sed non nisi ad messem destruendam, & sui ipsarum deflagrationem; Quid autem aliud sunt mundi huius assectæ & amatores, quam yulpes subdola & versipelles,

quos si interdum amicitia inter se conneras videas, nõ nisi ad perniciem aliorum amicitiam illam cessuram crede; hac ipsa alios eueruunt, fortunarum proximi naufragium causantur, familias nobilissimas destruunt, famam alienam lædunt, & simul cum aliorum interitu seipos ruinæ inuoluunt. Illa nimium mundi huius pax est, & amicitia: at pax, quam Christus donat, amoris est vinculum; cordium vnio, voluntatumque in virtutum, pietatis, diuini que obsequii exercitio sympathia & consensus: atque ideo Christi discipulis & sequacibus, & non mundi mancipiis traditur.

*Pax vobis*, Efformabant veteres, vt Paulus. *Joan. 10.* *Paxis* & ex eo Pierius Valerianus tradunt *Paxis* formam muliebri, quæ Pluto diuinarum *gnam* Deo vbera sugenda offerret, eiusque nutricem ageret. Innuere nimirum volebant, nihil esse quod regna magis beet, prouincias feliciores reddat, diuitias plures & copiosiores causetur, quam rerum publicatarum inter principes pax & concordia. Hinc etiam Chilon dicere solebat, amor vel pacem, natiuitatis, discordia vero ac bellum, feralem & mortis clauim manu gestare. Vnio quippe ad natiuitatem imprimis necessaria est, diuisio vero & discordia mortis est causa: & verbum diuisio sapissime in sacris litteris pro morte accipitur, vt in loco illo Paralipomenon, vbi cum legitur, *Contristatus est Dauid, eo quod diuisisset Dominus Ozam*, de morte sermonem esse certo certius est. Domus aut ædificum cum diuiditur & rimas agit, ruinam minatur: nauis quoque quæ circa latera aut proram rimosa aquam bibit, in naufragii periculo versatur: ideo quoque virginitas coniugali statui præfertur, quod qui conubio iunctus est, teste Apostolo diuisus sit. Adeo vt, quemadmodum discordia & diuisio mundo noxia est, ita pax salutaris sit & vitilis.

In hanc rem tradit Clemens Alexandrinus, Cleantem Stoicum Philosophum litteris aliquando mandasse, ideo Apollini, id est Soli, chelym olim esse dedicaram. Quod tubar in oriente fulgens mundum veluti pulsans, in concinnum aprumque cursum lucem deducat. Nam vt citharæ dus, hanc chordam *Li. 5. Sire- mat.* deptis

deprimendo, illam verò exacuendo, omnes inter se coaptat, vt harmoniam reddant suauissimam, & sonum edant auribus gratissimum: ita sol lumine se suo interdum sustolens, interdum demittens, res inferiores superioribus & cœlestes terrenis attemperat; adeo vt & in elementis, & in totius vniuersi statu pax & concordia reperiantur. Sed relictâ fabulosa hac interpretatione, verius hoc de Christo Iesu, qui idcirco in Sacris literis sol iustitiæ appellatur, dici potest; ipse enim vere omnia hoc in mundo coniunxit, & sibi mutuo conciliauit, pacem vniuersalem orbi afferendo.

*Ioan. 10.* Pax vobis. Christus, ecce, non nisi de pace loquitur, pacem solam vult, præter amorem & dilectionem nihil querit. In quam rem venit mihi hic illius in mentem, quod de M. Catone Romano refert Alexander ab Alexandro: intantum enim summus ille vir pacem diligebat, vt in anuli quæ gerebat gemma, sequens sculpi iusserit elogium, *Amicus vobis, inimicus nullus.* Tradit etiam Plato, regem Gygem gemmâ, quæ in fronte draconis in India reperitur, vt plurimum è digitis gestare solitum, quæ pacis olim & cœcordiæ symbolum erat; vt hac ratione pacis se studiosum & belli inimicum ostenderet: quem imitatus etiam Christus Redemptor noster, non nisi de pace apud suos agit.

*Ioan. 20.* Pax vobis. Verba hæc & sententiam exponens Magnus Pontifex Gregorius, ait, Dominum veram & iucundam pacem afferre iis, qui mundo fores oclulere, & nulla terrena negotia in animum admittunt. Soli enim qui mundo valedixere, illius vanitates explodunt, Monasticam vitam profitentur, & in deserta & solitudines quietis potunda ergo secedunt: vera pace gaudent, & sinceris delitiis perseruunt: qui num veritatem dicam norunt & me, si mentiar, mendacii arguere queunt. Quamobrem finem hic faciam, & in pace hac primum cœcionis membrum terminabo, ad alterum properans: quo Christi vobis vulnera manifestabo, mysteriaque illorum patefaciam.

*V.* Dominus igitur mox vt conclauē in quo Crucifixus Apostoli ob meritum Iudæorum delitescerent, discipulis ingressus est, & pacē iis precatus: quo se illis

manifestiorem redderet, fixuras clauorum vulnera quibus cruci affixus fuerat, iis ostendit, manus inquam, pedes, & latus præsertim omnium oculis exhibuit. Quamuis enim Lucas lateris nullam mentionem faciat, Ioannes tamen eiusdem meminit: qui vicissim de pedibus silet, quos tamen Lucas asserit, eum Apostolis ostendisse. In eo autem omnes Sancti Patres consentiunt, vulnera hæc non superficie tenus aut ementita fuisse; sed vera, quæq; perpetuo in sacro Christi corpore futura sunt: & hoc potissimum Zachariæ Prophetæ loco confirmant, *Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum?* quod à Christo Angelos, spiritus illos cœlestes petiisse fit verisimile, cum cœlos conscenderet gloria cœlesti in æternum fruiturus: quem admodum olim Isaias petiit, *Quare rubrum est indumentum tuum?* Aug. autem his omnibus suffragatur accedens, ait Dominum, cum ad iudicium venturus est, plagas suas & cicatrices vulnerum, ad maiorem inimicorum confusionem & Iudæorum infamiam in corpore gestaturum: in qua sententia S. Ioannes clare præluxit dicens, *Videbunt in quos transfixerunt.*

Disquiritur autem hic est: qualia & cuius formæ hæc vulnera fuerint: credit Augustinus, vt gloriosi & beati status, quo Christi corpus iam donatum erat, perfectionem omnimodam statuat, eadem non paruissè: indignum, sc. esse & præter beatitudinis decorum hiantia, cruentaq; corporib. Sanctorum vulnera affingere carnemque illorum mutilam & truncatam credere. Quia citæ simul obiectioni, quoniam igitur Thomas fixuras clauorum in manibus pedibus & latere digitos iudere potuerit: respondebit, Corpus gloriosum, ob egregiam subtilitatis dotem, alii corpori tangere volenti cedere posse & non posse, & ita B. Thom. vulnera lanceæ & clauorum potuisse tangere, etsi non hiant, & carne oppleta forent. Verum alia sententia & communior est & veracior: nempe quinque vulnera illa semper paruissè. Neque enim necesse est, ob neruorum, venarum, carnisq; coherentiam & continuitatem, nouum miraculum eudere, neq; etiam imperfectionem beatitudinis arguit, si caro in vul-

Ingens circa hæc vulnera difficultas.

Luc. 24. Ioan. 20.

Zach. 13.

Isa. 63.

Epi. 49. q. 1. c. 1. 20. de ciuit. ca. 30. Ioan. 19.

in vul-

in vulnerum locis desit, & concavum carne vacuum in beato corpore reperitur, cum hoc nulla ratione excellentiam pulchritudinis, quæ in glorioso hoc corpore emicat, diminutum eat, sed auctum potius & illustratum; foramina namque & scissuræ in chirotheis, per quas annulorum gemmæ transparent, ad ornatum sunt & decorem: vt & vestium apertura, per quas subtus latens aurum & bractea, aut aliud subtilioris byssi genus translucet. Christus igitur redemptor post resurrectionem suam in triumpho & gloriæ signum, plagarum & vulnerum suorum cicatrices ostendere discipulis voluit.

Ioan. 20.  
Christus  
vna cum  
sanguine  
suo resur-  
rexit.

Non est  
notabilis  
aliqua  
quantitas  
sanguinis  
Christi  
terræ reli-  
cta.

*Ostendit eis manus & latus.* Hinc igitur sine vlla refragatione inferre & astruere possumus, Christum simul cum corpore, anima, diuinitate, vulneribus, quin & cum sanguine suo, resurrexisse: sanguine inquam suo. Credibile namque est Angelos, priusquam à mortuis resurgeret, omnem, quem in monte Oliueti, in pratorio Pilati, per vrbes Ierosolymitanæ vcos, denique & in monte Caluarie effuderat sanguinem, diligenter collegisse. Adeo vt verosimile sit, imo certo certius, nullam notabilem sanguinis Christi quantitatem in terra remansisse. Huius opinionis est angelicus Doctor Thomas, in cuius sententiam libens secedo, qui etiam asserit, omnem, qui in variis orbis partibus ostenditur, sanguinem, Christi sanguinem non esse, at ex imagine aliqua, permitte Deo, miraculose & prodigiose effluxisse.

Eiusdem opinionis & fuisse videtur Athanasius fidei illud scutum inexpugnabile, quemadmodum in septimæ Synodi Constantinopoli celebratæ actis legitur: Dixi quantitatem notabilem, neque implicat, aut inconueniens est, credere exiguum aliquam guttulam spineo ferto, clavis, cruci, sacræque sindoni & sudario, quod Veronica crucem baiulanti porrexit, adhæsisse: quamuis tamen is ipse, quem in vitreis vasculis & lipsantheis videmus, sanguis proprie, quoad substantiam, non sit, sed color tantum sanguinis, qui iam evanuit, nec amplius iam comparet. Est quin etiam Extravagans quædam Pii II. Pontificis, quæ ait, fidei non

aduersari, credere Christum aliquam sanguinis portionem in sui memoriam & passionis reuerentiam hic in terra reliquisse.

Tradit quoque Nicephorus Callistus in primo historiarum libro, Deiparam & Ioannem Apostolum, Dominicæ passionis tempore, aliquot sanguinis Christi guttas in vasculo collegisse, quas magna dein diligentia & sollicitate admodum conseruariunt. Hinc est quod, quemadmodum fidei non repugnat, credere, aliquam sanguinis nutritiuam Christi Iesu partem in terra mansisse, ita ratio nulla dari possit, quæ nobis id credere persuadeat, Quamuis certum sit, sanguinem Christi, si quis in terra remanserit, eum diuinitate iam nulla ratione coniunctum esse, quod hic humanitatis eius pars nec modo sit, nec futurus sit: veruntamen, quamuis iam eidem vnitus non sit, adorandus est, quod prius vnitus eidem fuerit. Hæc doctrinibus dicta sunt, ad vulnera iam postliminio reuertor.

*Ostendit eis manus & latus.* Vulnera hæc in can. Christi foramina, antra & cauernæ maceræ in Can. Christi dicuntur, *Veni columba mea, in foraminibus petra, in cauerna maceræ*: quem plerique, rami Hebræorum locum hoc modo transferunt; *collata in ciuitate rupis*, aiunt enim per verbum, hoc apud Hebræos spheram, ambitum, & circuitum terræ designari: quod quam pulcherrime lateri Christi adaptare licet, quod vniuersum terrarum orbem, simulque, omnes eiusdem incolas comprehendere & continere valeat. Verborum autem sensus hic est, Charissima mea, instar columbæ pauida & meticulosa, in foramina te petra absconde, id est, spongi vulnera, & in cauernam maceræ, id est, latus illius, secede.

Huc alluisse videtur & Deus, cum Mosis vultum suum videre eupienti ait, *Est apud me locus, & stabis supra petram, & transibo, & abscondam te in foramine petra, & manu mea protegam te.* Quasi dixisset: Nimis sublimia sunt desideria tua Moses, maiora æquo petis, sperasque impetrare posse, quod penitus fieri nequit: sed, audi locum tibi demonstrabo: stabis nimirum in petra, & ipse ante te transibo, &c. Respexere huc etiam plura alia scripturæ loca, vt ille Esai. 2. *Ingradera* in pe-

in petram, & abscondere in fossa humo, à facie timoris Domini: consulit nimirum peccatoribus vt in petra, quæ Christus est, delitescat & abscondantur: simulque fossam humanitatis eius, ad diuinum furorem declinandû, ingrediantur. In Psalmis etiam legitur: *Montes excelsi ceruus, & petra refugium erinacei*: id est, iustis, qui per ceruos denotantur, habitaculum sunt excelsi diuinitatis, maiestatis, prouidentia, prædestinationis, præscientia montes, in quibus noctes & dies contemplan-do, meditandoque per sancta desideria expatiuntur: petrarum autem foramina, id est, vulnera incarnati Christi, miseris peccatoribus, refugium, in quibus herinaceorum instar delitescant.

Abas 3. Christi vul. hæc vulnera cornuum nomine appellat: *Cornua manibus eius ibi abscondita est fortitudo eius*. Porro cornu in sacris literis symbolum est fortitudinis, vt Psalm. 74. *Nolite extollere in altum cornu vestrum*. Item 88. *Exaltabitur cornu vestrum*. Et: *Cornu eius exaltabitur in gloria*. Et primo Regum: *Exaltatum est cornu meum*. Ecclesiast. quoque 47. legitur. *Exaltauit in æternum cornu viui*, aliisque locis innumeris. Christus autem cum in manibus gestare cornua, quæ natura animalibus in fronte dedit, dicitur, de vulneribus intelligendum est, quæ manibus gestit, quæque magna meritorum illius fortitudinis pars fuere.

Itæ fontes. *Isaias vero fontes salutis & vitæ eadem nuncupat: Haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris*, id est, de vulneribus Christi Iesu: ad Hebraicos quippe fontes transferri potest, *de visceribus Saluatoris*, quæ nobis per acerba hæc vulnera abunde patuerunt. Hæc nimirum scaturigines & fontes sunt quos animarum nostrarum hostis diuertere, alioque deducere gestit, ne aqua gratiæ & salutis inde scaturiens mentes nostras inebriet. In cuius rei signum Holofernem historiam produnt aquæ ductus Bethulienses & fontes aquarum obturasse, aut alio deduxisse: Philisthæos quoque Isaac detestatos, pueros quos Abraham reliquerat, lapidibus implere, adeo vt nulli postea vsui fuerit, quos diaboli etiam imitati, præ inuidia impedire

Tom. I. Pars Hyemalis.

conantur, ne aqua vulnerum horum ad nos dimanet.

Appellatur adhæc sculptura, vt apud Zach. 3. *Super lapidem unum septem oculi*. An commet. *z. 3. sunt, ecce ego calabo sculpturam eius vt Dominum exercituum*; quem locum magnus Hier. de Christo Iesu interpretatur, putatque Scripturam hanc de sacris illius vulneribus intelligi: quod Pater æternus vulnerati eum, tum à clauis quib. cruci affixus est, tum à lancea militis, quæ corpus illius plagis & contusionibus quodammodo arauit & sculpsit, voluerit, igitur beata ac ter beata vulnera! *Ostendit eis manus & latus*. Christus porro resurrectionem confirmaturus, non Philosophorum more, syllogismis, Sophisticis demonstrationibus, Enthymematibus, aut Epichirematibus, aliisque argumentis topicis est vsus: sed re ipsa, & miraculis euidentibus ad oculum eandem asseruit. Quanta autem horum argumentorum efficacia & robur? an non enim magnum prodigium, terram concutere, vitrumque mundi cardinem commouere, mortuos ad vitam reuocare, sepulchra referare, infernos carceres spoliare, Angelorum apparitionem inducere, vigiles percellere & exanimare, Pilati sigilla infringere, lapidem ab ostio monumenti reuoluere, naturam in admirationem rapere, mundo se post mortem manifestare, vulneraque astantibus patefacere? O miracula insolita & inaudita, imo vix vnquam visa!

*Ostendit eis manus & latus*. At quoniam de vulneribus longior iam sermo incidit, non omnino abs re videtur, rationes inquirere, cur eadem à resurrectione Christus retinere voluerit: Patres nobis easdem sappedita bunt: quas vbi audieritis, pulchras hand dubie & egregias iudicabitis. Primo, in signum victoriæ, ita D. Thom. *vt in perpetuum*; inquit, *gloria sua triumphum circumferret*. Beda deinde ait, non aliquod imperfectionis aut impotentia signum fuisse, Christum cum vulneribus resurgere, sed perpetuum cuiusdam triumphi & victoriarum de hoste relatarum monumentum. Chrysostomus credit, quamuis vniuersum Christi corpus rediuium & à monumento redux; lucidissimum & splendidissimum fuerit, vulnerum

Gggg

tamen

Zach. 3. An commet.

Ioan. 20. Christus resurrectio nem suam miraculis, non Sophisticis argumentis probare nititur.

VI.

Ioan. 20. Christus cur vulnera retinuerit.

3. part. q. 54. art. 4. & opus. 60. c. 22. in ca. 24. Luc.

In signum nimirum victoriæ.

tamen loca & cicatrices sole tunc fuisse splendidiore: ex ipsis quippe emicabat quidam fulgor ac lucidi diuinitatis radii qui omnium oculos lumine suo & iubare præstinguerent.

Gloriosas igitur has cicatrices in glorioso corpore seruauit, vt generosum & strenuum duem imitaretur. Vt enim militi gloriosum est, prælio peracto, obtusis armis, herberato ac semifracto gladio vestibus laceris, manibus hostili sanguine cruentatis, facie puluerulenta, vulneribusque defœdata, ad suos reuerti: ita profecto non modica Christo regum Regi gloria fuit, è cruento passionis conflictu, vulnerato & cruentato corpore recedere: has quippe plagas velut fidas animi sui testes, virtutisque indices retinere voluit, vt iisdem velut titulis, elogis, pateregis & acroamatis humanitatis suæ scutum insigniaque condecoraret.

*Thren. 3.*  
Christi  
passio scu-  
to compa-  
ratur.

Scutum dixi, quod ita usurpatum vocabulum hoc apud Ierem. legam, *Reddes ei, inquit, vicem Domine iuxta opera manuum suarum, dabis enim scutum cordis dolorem tuum.* De Iudæorum hic pernicacia agit, qui se excusate nitebantur, quod Christum debito non essent cultu prosecuti: cum instar aliorum hominum eum occubuisse, & sepulchro reconditum eernerent: ait igitur. Pro meritis eos castigabis Domine, passionemque tuam & dolores, vt cordis illorum scutum, statues. Gregor porro locum hunc interpretatus ait, Christi passionem destinatam Iudæis vt esset scuti loco, quod eadem, si prot par erat eam sibi applicuissent, asylum, protectio & aduersus omnia pericula & fallacis mundi incurfus, clypeus & ymbo impenetrabilis fuisset. Et sane Pater cœlestis filium in terram misit vt instar scuti in expugnabilis & clypei validissimi Ecclesiam suam protegeret ac defenderet.

*Lib. 1. in 9.*  
*Æneid.*

Referunt T. Liuius. & eum eo Seruius Honorans tempore Numæ Pompili scutum quoddam cœlo de lapsum, quod ancile nominarunt. Oraculum de rei euentu Numæ rex consulens, responsum tulit, tam diu Roman. Imperium saluum & incolume fore, quam diu ancile hoc Romæ seruaretur: at eodem sublato aut perditio temp. quoque perditum iri. Quo audito, vndecim alia, ad cœ-

lestis illius similitudinem, ancilia sculpi à Mamurio præcepit, vt ita alterum ab altero non esset dignoscere, & nemo hac ratione sacrum imperii pignus & tutelam auferret, sed similitudine & rei incertitudine deterritus à cœpro desisteret.

Melius hoc & aptius de Christo Iesu, eiusque morte, passione, & vulneribus dici queat, qui non ob aliam causam cœlo descendit, quam, vt velut clypeus & ymbo, protegeret eos, qui diligenti custodia eum penes se seruare niterentur. Et quoniam Iudæos cœptim saluaturus venerat, ideo apud eos nasci, & ancile illud regiū & pretiosum penes eos deponere voluit. At Satan, qui late tunc per orbem imperitabat, omnesque imperio premebat, cognito, Prophetis oraculis prænuntiatum, rempub. illam conseruandā & immortalē fore, & ceteris dominaturam, quæ ipsum magna sceleritate seruare conaretur, omni studio eum abscondere, eiusque honorem imminuere, imo celare cõtendebat, atque ideo, ne quis ipsum agnitione clanculo auferret, ceteris ancilibus permiscuit, ne ita verum ancile agnosceretur. Qui quoniam è vulneribus, & sanguine etiam facile à quolibet agnosci potuisset, ideo ceteris eum maleficis & supplicio extremo afficiendis, vt Barabbæ aliisque homicidis carere detentis, similem reddidit. Quin & cum in crucem iam agendus esset, omni ratione contēdit, vt medius inter latrones expiraret, vt simul eum latronibus latro, cum sicariis sicarius appareret, nihilque ab eisdem discreparet. Ideo Prophetæ prædixit: *Et cum iniquis reputatus est:* Sed iam æquo diuini euagati, ad lineam redeamus vulnerumque Seruatoris causas reddere pergamus.

Saluator igitur mundi gloriosa hæc vulnera in sacro corpore retinere voluit vt ita eius fidem nostram confirmaret, resurrectionis inquam suæ veritatem astrueret: est enim resurrectionis articulus ad credendum perdifficilis. Inualuerat iam namque apud omnes, & cunctorum animis infederat, commune illud, & in Philosophorum scholis usurpatum principium & scitum: *A priuatione ad habitum non dari regressum*, id est, Neminem forma priuatum aliqua eandem iterum recupe-

recuperare posse; cæcū, verbi gratia, oculo-  
rum vsum; surdum, aurium; mutum linguæ.  
Cum autem mors omnium priuationū ma-  
xima & sanctissima sit, utpote quæ non vi-  
su solum aut auditu priuet, sed instar nobilis  
prædonis & piratæ, omnes corporis nostri  
sensus auferat & ditipiat, hinc est quod natu-  
raliter loquendo, nemo à morte ad vitam re-  
dire possit.

8. Paulus Athenis  
Athenis  
exhibita-  
tur, cum  
de resur-  
rectione  
ageret.

Atq; hæc ratio est, Auditores, cur Aposto-  
lus Paulus Athenis, vbi ingens Philosopho-  
rum omniumq; sapientum numerus erat, &  
quo totius Græciæ, ne dicam orbis, ingenio-  
rum nucleus confluebat, quamdiu de vni-  
us Dei cultu, de inaniam deorum simulacris,  
quæ nec audire, nec loqui valent, ageret; ma-  
gno cum silentio, attentioneq; omnium sit  
auditus: at mox, vt de mortuorum resurre-  
ctione sermonem instituere cœpit, omnes  
eum exhiberēt, exploderēt, & alii eum agyr-  
tam, alii nouorum demoniorum assertorem  
appellarent, cuius rei non aliam S. Lucas ra-  
tionē tradit, quam quia Iesum & resurrex-  
tionem annūtiabat eis. Ipsi quoq; Apostoli, cum  
mulieres resurrexissent, & à se visum Dominū  
asserent, credere omnino noluerunt, sed vt

Act. 17.  
Luc. 24.

Euangelista refert: *Visa sunt ante illos sicut  
deliramenta verba ista, & non crediderunt.*

Hanc etiam causam existimo, cur Patres  
in Concilio Nicæno congregati, in symbolo  
suo, soli articulo de resurrectione addide-  
rint verba illa *secundum scripturas*: quæ ab  
Apostolo Paulo mutuati erant dicente: *Et  
quia resurrexit tertia die secundum scripturas.*  
credebant quidem Gentiles Christum pas-  
sum, mortuum & sepultum esse, sed à morte  
eum resurrexisse omnino negabant. Idcirco  
ad maiorem rei confirmationem addidere  
Patres secundum Prophetarum oracula &  
Scripturæ signationem eum resuscitatum.  
hunc porro articulum Augustinus veram &  
propriam Christianorum fidem appellat.

Est quoq; euidentis diuinitatis argumentū,  
& apertum dexteræ excelsi opus. Hinc Suna-  
mitis illa videns filium ab Helisæo, non sine  
miraculo, ad vitam reuocatum, mox in hæc  
verba prorumpit: *Nunc scio, quia verè Prophe-  
ta Dei es tu.* Quoniam autem articulus hic ad  
credendum difficillimus erat, & magni inter-

esset fides illius, Christus Dominus eandem  
in corpore, post resurrectionem gloriose,  
plagas & vulnerum notas retinere voluit  
quas viuens corpore exceperat; quo hisce  
visis mors & resurrectio sua gloriosa, eu-  
dentior & manifestior foret.

Vulnerū adhuc cicatrices retinere Domi-  
nus post resurrectionē voluit, & coronā suam  
his velut gemmis insignire, vt nostra hinc  
spes & fiducia cresceret & roboraretur. Ad  
dexterā quippe Patris residens, quotiescunq;  
furoris ille suirela in nos detorquere parat,  
eadē repræsentat, passionisq; suæ merita illi  
ob oculos ponit, quo visis his, tela ponat, nos  
in gratiæ suam admittat, & iratus recōcili-  
etur. Olim quidē Patrem viua voce pro mor-  
taliū genere obsecrauit, vt de se in Euan-  
gelio testatur: *Ego pro eis rogo; alias etiam cum la-  
chrymis & clamore valido, quin etiam pretiosi  
sanguinis sui effusione & exuberantia: Accessi  
stis ad sanguinis effusionem melius loquentem  
quam Abel.* At modo in gloria constitutus, à  
lacrymis, fleu, clamore, sanguinisq; effusio-  
ne penitus liber & immunis, vulnera Patri  
irato exhibendo, cicatricesque amorem spi-  
rantes manifestando, pro nobis intercedit, &  
omnium impetrat veniam delictorum.

Antipater, Herodis Ascalonitæ, eius in-  
quam qui infantium stragem edidit, frater,  
cum Augusti Cæsaris partes secutus, pluri-  
ma corpore vulnera exceperat, & illius ob-  
sequio deditus fuisset; sed deinde proditio-  
nis & perduellionis reus constitutus esset,  
nullam in sui purgationē apologeticam aut  
deprecatariam orationem recitari passus est:  
sed crimen hoc nefarium à ceruicibus suis  
depulsurus, coram Cæsare pectus cicatrici-  
bus deforme, plagis deturpatum, & vulne-  
rum notis quodammodo compunctum a-  
peruit; & ait: *Non sunt hæc proditio-  
nis, sed fidei  
litatis indicia, maxime Cæsar.* quo spectaculo  
permotus Cæsar, solio surgens, Antipa-  
trum mox amplexus est, maioriq; quam  
prius, amore est prosecutus, omnem quam  
accusatus indignationem incurerat, ani-  
mo deponens, & tam spectatam viri fidem  
in discrimen & periculum adduci dolens.  
Quantum igitur roboris ad Patrem cœle-  
stem filii vulnera, quæ ob illius honorē cor-

Vulnera  
Christi  
spem no-  
stram con-  
firmant.

Ioan. 17.

Heb. 5.

Heb. 12.

Joseph. ans.

Iud.

pore excepit, habitura putabimus, cum eadem, hominis reconciliandi gratia, iratis eius oculis exhibet?

1. Ioan. 2.

S. Bernar.  
meditatio.

Quam rem Ioannes Apostolus cognitam habens, in epistolis dicere non dubitavit: *Aduocati habemus apud Patrem Iesum Christum.* In quæ verba commentatus deinde Bernardus, hominum felicitatem mirum in modum deprædicat & extollit, dicens: O te felicem, ô homo, qui tam facilem ad Deum accessum habes, tam molles aditus! *Mater ostendit filio peccata & vbera, & filius exhibet latus & vulnera.* quam meditationem tandem concludens ait: *Quomodo poterit ibi esse repulsa, ubi tot concurrunt caritatis insignia? Quis igitur hæc animo voluens, simulque aduocati nostri apud Patrem affectum considerans non intrinsecus ad eundem diligendum, & animo amandum, velut viuis quibusdam facibus succendatur.*

2. Reg. 15;

Tanta Absalomi, in seditionem tamen vergentis, benignitas erat, vt omnes, qui negotiis implicati ad regem Dauid accessissent, vltro ipse, in portis regis confidens, audiret, & examinando accurare, suam vnicuique ius tribueret; gauderetque non parum, si negotiis ex animi sententiâ confectis, eosdem ad propria latus remitteret: dicebatque interdum apud se: *Quis me constituit iudicem super terram, vt ad me veniant omnes qui habent negotium, & iuste iudicem.* Perinde ac si dicere voluisset. Vtinam ipse negotiis populi huius examinandis, diiudicandisque præfiderem, neminem profecto tetricum aut subiratum dimitterem; paterent quoque fores meæ, & suum vnicuique ius redderem. Sciebat siquidem, hac se ratione animos popularium deuincire posse, suasque in partes pertrahere, quod & reuera factum est. nam, teste Scriptura, ad primum buccinæ clangorem, *toto corde vniersus Israel sequebatur Absalomum.* Quid? si sola & nuda audiendarum controuersiarum voluntas, & simplex, quo regni iudex constitui volebat, desiderium totius regni animos deuincire potuit; an non amor & cura, quam nostri Deus habet, omnium nostrum animos inflammaret, & ad reciprocum amorem inuocaret? Hic enim, iam inde à suæ resurrectionis

die adeo se de nobis sollicitum ostendit, tantumque amorem exhibuit, vt non modo in negotia nostra inquirat, sed quotidie apud Patrem eadem ipse agat, pertractet, procurat, atque ad optatum tandem finem perducatur: atque in hanc rem sacra in corpore vulnera reseruauit, quæ Patri irato & flagella immittere parato exhiberet. ac proinde non patronus modo noster, verum etiam iudex est, vt in Actis legitur: *Ipsa est constitutus à Deo iudex viuorum ac mortuorum.* An non hoc affectum nostrum erga illum excitet, corinflammet, diuinoque obsequio mancipet? Dicatur igitur, obsecro, de nobis aliquando *Toto corde vniersus Israel sequitur Absalom; Toto corde, inquam, sequitur populus Christianus Christum.* Sed procedamus ulterius.

Quarta seruatorum vulnerum ratio est, vt hac ratione amorem nobis suum restatum faceret, vicissim nos ad amandum proliceret, memoriamque sui in animis nostris perpetuo excitaret. Hanc etiam loco superius allegato rationem attulit D. Thomas dicens: *Vt sua morte redempta, quam misericorditer sint adiuti, propostis sua mortis indicis, insinuet.* Ipsa quippe sacra Christi vulnera euidentis amoris & dilectionis testimonium dant. Cum domum aliquam incendium corripuit, solent qui eadem inclusi sunt, fenestras aut ostia laxare, ne ignis interius coarcturus, nec erumpere valens, omnia depalcat & absumat; sed vt ita foras prorumpens euagandi habeat spatium. Tota Christi anima, Auditores, viuo amoris incendio æstuabat, & consumebatur, ideo in cruce, à vertice ad calcem vsque eandem denudari necesse fuit, & aperiri non vnam modo fenestram; at quinque simul, quia inquamilla hiantia vulnera; itaque per eandem ignis ille & flamma amoris, & amor ille flammens, tum è manibus, pedibus, tum etiam è latere prorumpens, egressum est.

Et quoniam fenestræ mentio incidit, venit mihi hic in mentem, Augustinum vulnus illud lateris Christi, fenestræ, quæ in summitate arcæ Noe constituta erat, quæque circa finem diluuii aperta fuit, & per quam columba aquarum fundum exploratura emissâ fuit, comparasse auctorem quoque; histo-

lib. 15. c. 1.

civ. c. 1.

riz.

via Scholasticæ eandem vitream posuisse, vt in arca constituti per eandem lumen haberent, & ne, si lignea foret, pluuia indies decidente, putresceret; itaque in clusi imbre profundenterent. Quamuis Hebraei tamen eiusdem in loco lapidem aliquem pretiosum positum credant, qui, pyropi instar & carbunculi, rutilaret, & per arcam, omniaque eius latera resplenderet. Dici non potest, quam seite hæc omnia sacro vulnere lateris Christi conueniant; hoc enim crystalli instar, & vitri pellucidi fuit, per quod amorem eius & misericordiam perspiciere potuimus; & quod fulgore & ardente caritatis splendore, ad instar carbunculi radiante vniuersam Ecclesiæ arcam mirabiliter illustrauit.

Rupertus autem, vir rum sanctitate, tum doctrina illustris, commentario in libros Regum, de admirabili illa templi Salomonici fabrica loquens, ait, per ostium lateris templi illius, vulnus in lanceato Dominici pectoris latere, præter quod nullus sit aditus, neque ostium, vel ianua, qua quis ad Deum intreret, designari.

Christus gloriarur magis in signis humilitatis suæ quam gloriæ.

Ad 6.

Id.

Exert. 16.

Quinta & postrema ratio hæc est, vulnere feruare Dei filius, post resurrectionem voluit, vt humilitatem nos omnibus in rebus edoceret. Agnosci nimirum voluit e signis humilibus, abiectis & humilitatem spirantibus, non vero gloriam & splendorem redolentibus. Hinc Apostolis hodie non triumphantem se gloriosum, aut splendendum ostendit, vt quidem olim in transfiguratione, sed humilem & vulneratum, quali in passione schemate conspectus est. In Actis quoque Apostolorum, cum Paulum Christianos persequentem in via compellaret, non honorifico aliquo, sed humili se nomine nuncupauit, dicens: *Ego sum Iesus Nazarenus quem tu persequeris*, ad titulum cruci superpositum allusione facta; eumque dicere magna cum gloria merito potuisset. Ego sum verbum Patris secunda in Trinitate persona, mundi rotius Redemptor, victorum & mortuorum Iudex, magnus Angelorum magister ad dextrâ Patris residens; dixisse sat habuit; *Ego sum Iesus Nazarenus, quem tu persequeris*. Ipsi quoque Angeli non

alio ipsum compellauere nomine, cum mulieribus illum quærentibus dixere: *Iesum quæritis Nazarenum crucifixum*.

Filii autem Iacob in conspectu Pharaonis constituti, & quales nam essent interrogati, quamuis liberè respondere potuissent, Pharaone se totius Ægypti vicarii fratres germanos se humiliasse, claro Patriarchæ Abraham sanguine ruit, oriundos, Iacob viri Dei dilectissimi filios, summorum Prophetarum affines; Iosepho tamen instigante, magna animi demissione dixere: *viri pastores sumus*. Isaïas de inde Propheta de futuri Messia ortu & progenie loquens, & genealogiam illius texens, tenuibus incipit principis, & omnium infimo & abiectissimo Iesse: *Egredietur virga de Iesse radice Iesse*. Dauid rex ad summos honores & dignitates euehendus, gener scilicet regis constituendus cum esset, & heroica sua gesta recensere, victoriarum olim relatarum catalogum texere, & magnanimitatem iactare posset; præ animi tamen demissione ait: *Quis ego sum, aut quis filius Isai?* Idem o. I Reg. 19. manino Christus hic fecisse dignoscitur, cum Apostolis se vulneratum, cruentatum, plagis refertum ostendit, e quibus magna illius humilitas & amor colligi queunt. Hæc sunt vulnerum seruatorum rationes, quas huic asferre visum fuit, quibus in aciem productis, receptui canam.

Quamobrem Auditores, hæc, obsecro animo vestro inhæreant, examine, quæ dicta sunt diligenter, mysteria deducta excutite; omnem mundo aditum ocludite, efficit, ne quis illi ad eor pateat introitus, & ita celestem cum Apostolis pacem obtinere valebitis. Cum Christum stantem videris, cogitate gloriosum resurrectionis statum omnia, quæ prius curuata erant, recta reddere, cum in medio suorum, denotari credite, illum mediatorum nostrum esse. Cogitate etiã, ideo illum vulnerum notas in corpore retinuisse, & perpetuo retenturum, vt ipsa victoria & triumpho relati iudicia forent; fidem nostram confirmarent, spem certam redderent, amorem illius erga nos testatum facerent, humilitatem denique docerent. Exclamem igitur merito, ô felicia, beata ac gloriosa vulnera!

Gggg. 3 Beata

Beata, inquam, Domine Iesu, nobisq; salutaria, cum nostri eadem causa receperis, amorisque in nos testandi gratia retineas. Sunt utique foramina petrarum, & caeuernae maceriae, in quibus animae nostrae columnarum instar ab incurſu hostili tutae delectant; sunt fontes salutare, e quibus aquas gratiae, & misericordiae hauriant; sunt decora sculpruraeque sacrae humanitatis tuae: sunt quid etiam, mundi redemptor, passionis tuae trophaea, fortitudinis indicia, triumphorum testimonia, veraque amoris & affectus tui erga mortales argumeta. Gratiam igitur nobis, o animarum seruator, praesta, ut per eadem, per quae redempti sumus vulnera, gloriam tandem caelestem obtinere mereamur; ad quam deducere nos digneris, qui cum Patre & Spiritu sancto uiuis & regnas. Amen.

### DOMINICA SECUNDA POST PASCHA.

Partes.

1. *Quam periculosa sit multiu prelatura.*
2. *Quod verus pastor sit Christus.*
3. *Veri pastoris proprietates.*
4. *Dotes pastoris boni generatim.*
5. *Eiusdem dotes quadam singulatim.*
6. *Pastoralis regiminis partes.*
7. *De mercenario.*

*Ego sum Pastor bonus, &c. Ioan. 10.*

#### FIGURA.

Num. 16.  
17.

**C**VM grauis hinc inter Dathan, Chore, Abironemque, illinc Moſem atq; Aaronem, quo ad ſummum ſacerdotium, orta eſſet contentio, nolentibus nimirum illis Aaronem ſummo ſacerdotio, & totius populi paſtoratu initiari, ſed eundem ſibi potius ambientibus, Deus controuerſiam hanc prodigioſe terminaturus, virgas 12. principum tribuum filiorum Iſrael, tabernaculo inferri mandauit, & uicuique tribus nomen inferri; cuius porro uirga manẽ floruiſſet, illius ex tribu ſummus Sacerdos conſtitue-

retur. Cum igitur die conſtituta uirga tabernaculo illata eſſent, ſola Aaronis poſt die ſloruiſſe, frondiſſe, fructumque amygdalinum protuliſſe comperta eſt; quo ſigno declarabat Deus, ſolum hunc praeter ceteris ad ſummum ſacerdotium populique ſacram praetaturam delectum. Eadem haud dubie, Auditores; inter Scribas & Phariſaeos, & Chriſtum Dominũ uiebat controuerſia & contentio; oſtendere conabantur illi, ſummũ Pontificatum, principatum ac regimen populi apud ſe reperiſſi, ſibi que longi temporis praerſcriptione deberi: hic uero ſolum ſe Pontificem & populi caput, reliquis excluſiſ, a Patre eſſe conſtitutum. Qui quoniam ſolus, diuina adiuuante potentia, gratia in conceptione, uita & tempore reſurrectionis floruerat, hodie ab omnibus in uniuerſalem paſtorem, & ſummum & oecumenicum Pontificem recipitur; cum ipſe de ſe aperte teſtetur: *Ego ſum paſtor bonus.* Hoc ipſum Ioan. 10. Euangelii noſtri ſubiectum eſt, quod hodie expoſiturus cathedram conſcendi; Uti nam ad ampliorem Dei gloriam, animarumque noſtrarum emolumentum! Sed quoniam humana genua labant, & ignorantiae mihi mea ſum conſcius; ad Spiritum paraclitum, qui linguas infantium foecundas reddit, confugiendum; eiusque auxilium, Deiparae uirginis interceſſionibus, prout conſueuimus, implorandum. Dicamus igitur ingenua procumbentes cum Angelo Gabriele, *Aue Maria.*

Magnum illud Eccleſiae ornamentum & caput Gregorius, de Episcoporum & Antistitium dignitate loquens, dicere ſolebat, D. Grego. Praelati poteſtatem non honorem, ſed in- de prela- gens potius onus eſſe, & merito proſecto; tis. inter caetera enim quae reperiſſi in mundo poſſunt, oneroſa & graua ipſa Episcopalis dignitas primũ obtinere locum merito dici poteſt. Quo etiam quam proxime accedentes Concilii Tridentini Patres, vna. Item Co- nimi ſuffragio aſſeruere, tam graue Episco- cil. Tri- porum onus eſſe, ut ipſi etiam Angelorum humeri, ſi ipſum imponeretur, ſub mole labacerent, aut ſaltem fatiſcerent: *onus an- gelicis humeris formidandum*, quod nimirum Cherubim ſuſcipere exhorterent, ſub quo Seraphi-